QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ Martii.

M. RAPHAEL MAURIN, Doctore Medico, Præside.

An subtilis materia cum aëre juncta ægrum sanat, & corpus animæ domicilium conservat?

I.

SANITAS est perfecta omnium functionum integritas, quæ debito spirituum ordine fovetur, dum humores qui debent excerni, vacuantur, qui debent retineri, conservantur; perfectâ fruimur sanitate, dum spiritus qui facile se extricat, leviter involvitur, dum materia crassa quæ nimium sibi adhæret, parum attenuatur, nec præcipiti nec lento feruntur humores gradu, nec spiritus seu subtilis materia humores nimium exagitat, non subtilem dico Cartesii materiam; subtilissimum quod concipitur, ignis est, qui omnia subit, qui in rerum creatione productus fuit, illic viget, ibi languet, collectus & extricatus omnia evertit, divisus & involutus nullâ vi pollet. Nos ignem subtilem materiam statuimus, quæ sensus nostros afficit, ratione & experientiâ nitimur. Ignis moderatus organa corporis humani conservat, anima illis eget ut retineatur & operetur, sola ratione est prædita, nec interitui obnoxia; omnia alia animalia sunt rationis expertia. Gallina fovet ova, pullos ab ovis eductos ducit, & ad pastum vocat, à canibus & aliis quantumque in se est, vindicat, alis pullos continet suos, eosdem ætate provectos, dum ad matrem accedunt, rostro suo mater expellit, si suos cognosceret pullos, suorum amicitiæ & tot laborum recordaretur mater, nulla gallinæ inest cognitio, aderat solus naturæ motus nullâ ratione fretus.

I I.

MULTA ad sanitatem conservandam, pauca ad evertendam concurrunt, humor biliosus sensim sine sensu à sanguine ad cystim felleam debet ferri, serosus viam sibi paret ad renes, mucosus ad nares; dum per filtra natura se exonerare non potest, confunduntur humores, intricatur spiritus,

aut intenditur fermentatio; ſubtilis ſanguinis portio copiâ & humorum craſſitie obruitur, totius corporis motus languet, calor adhuc in majoribus vaſis, & in corde micat, omnes tandem figuntur humores, motus ceſſatio mors èſt. Dum nimio motu attenuantur humores, efferveſcit ſanguis, vix intra vaſa contineri poteſt, majus occupat ſpatium, venas & arterias diſtendit, omnes accenduntur humores, acutiſſima febris ægrotantem vexat; ſæpe attenuatus humor fertur ad caput, compoſitos ſpirituum motus evertit; quorum ope veræ ſpecies animæ repreſentantur, ordo perturbatur, debitas actiones anima non elicit, inde delirium ſubſequitur; ſi ſtatim non ſuccurrat Medicus, vaſa diſrumpuntur, per apertam viam totius corporis ſanguis effluit; intra breve temporis ſpatium moriuntur ægrotantes, aut ſanguis nimium attenuatus è vaſorum extremitatibus èxilit, per ſubſtantiam alicujus partis diffunditur, interſtitia ſubit, colligitur ſanguis, vera fit inflammatio quæ in abſceſſum migrat, niſi derepente opem ferat Medicus. Æſtu aliquando ſanguinis fit colliquatio, ſeroſus humor ſeparatur, nunc in illam, alias in alteram partem impetu ruit, fibroſa ſanguinis portio ſibi cohæret, motus ſanguinis progreſſivus intercipitur, illic ſerum exuperat, ibi deficit, fervet corpus & urens calor omnia depopulatur, ſanguinis partes areſcunt, nimiâ fermentatione diſſipantur ſpiritus, ſanguis exſiccatus ſuis deſtitutus ſpiritibus ad partes amplius non appellit, illius ceſſat motus, deficit æger.

III.

MEDICO ſpeciem cauſamque morbi, & partem affectam detexiſſe non ſufficit, ſed mederi ægrotantique ſuccurrere debet; homo nimiâ ſanguinis fermentatione, vel dum intricantur ſpiritus, interit; aër cum ſubtili materiâ junctus pulmones ingreditur, ſanguinis fervorem temperat, humorem acriorem demulcet, impetum ſanguinis cohibet; venæ ſectione ſanguis qui educitur propellit aërem qui pulmones ſubit, extracti cruoris locum occupat; detractâ portione oneris, natura ſublevatur, miteſcit humor, non ita ſævit, revellitur ſanguis, ferocitatem deponit, tandem naturalem recuperat motum; emulſiones, apozemata refrigerantia non ſunt omittenda, quæ tenuitate pollent ſine calore maxime proſunt; dum ſanguis tantam acquiſivit craſſitiem ut vix moveri poſſit, lentus & viſcidus humor abundat, humorum lentore involvitur ſpiritus, qui ſe extricare non poteſt, condenſantur omnes humores, concidunt vires, tandem graviſſimo æger corripitur morbo. Subtilis materia cum aëre juncta ad pulmones tendit, ſanguinem rarefacit, attenuat, fluidiorem reddit; aër in cubiculo ægrotantis ſit calidior, calida tum per nares, tum per os aſſumantur, apozemata calida, vehementiora purgantia, emetica exhibeantur, ut concutiantur, exagitentur & irritentur partes, ſanguis qui jam jam coagulatur, rarefit, ſpiritus ſeſe expediunt, lentam craſſamque pituitam attenuant; Chymica medicamenta in hoc caſu maxime conveniunt. Ignis chymicâ arte varios edit effectus, in ſale fixo alkali cauſticum eſt, & urit; in ſale volatili alkali rarefacit, ſudores provocat; in ſpiritu acido metalla diſſolvit: cave ne exhibeas ſalia illa ad ſedandam fermentationem, & ſpiritus ad cohibendum ſanguinis motum, ſanguinis ebullitionem augebunt, aut ſolidas corporis partes abradent. Chymi-

ci non dico genuinos, nomine alkali omnes demulcent humores, vi alkali omnes accendunt, acrioresque reddunt; nec dicant Chymici in morte friget homo, à frigore mors est; dum tota domus flammâ consumitur, post omnem ustionem, quod reliquum est, friget; domus hæc non à frigore, sed à calore in cinerem abiit. Frigidum omnia involvit condensatque, frigido & calido corpore omnia conservantur, dum unum exuperat & aliud omnino vincit, vehementissimus est motus, fit continui dissolutio, aut omnino constringitur corpus, ab initio corpora illa tali virtute prædita sunt, quæ ad finem usque perseverabit. Contraria illa corpora semper inter se pugnant, hyeme corpus frigidum debellat calidum, æstate calidum superat frigidum, vere & autumno æqualis est fere pugna; illis corporibus à mundi exordio has Deus concessit qualitates, dum ad prima elementa deventum est, ad Deum recurrere non dedecet.

IV.

PROCELLIS elapsis placidus est aër, Nautæ adhuc verentur, nimio fluctuum motu, integræ non sunt naves, in tuto sunt Nautæ, naves reparari debent, ut ad portum perveniant. Præteritis quatuor morborum temporibus immediate post, homo nec sanus est nec ægrotat, præcessit morbus qui totum fere depopulatus est corpus, illud exhaustum est, refici debet. Sanitas portus est quem attingere convenit. Ut finem suum consequatur Medicus, Æger si biliosum nactus sit temperamentum, in humili degat loco, aërem purum humidumque recipiat; si obesus sit homo, & humido temperamento præditus, in sublimi stet loco; primus crasso & humido aëre vires recipit, calor qui corpus exsiccat, refrigeratur, subtilis cruoris portio paululum incrassatur, sanguis qui nutrit partes, adhæret; concitatior sanguinis motus coërcetur, partes omnes dulcem suscipiunt sanguinem, excrementitii secernuntur humores, ferox bilis lenitur. Qui pituitoso donatur temperamento, in quo viscidi coacervantur humores, subtili aëre perfectam recuperat sanitatem, tenuior aëris portio obstructiones solvit, lentam crassamque pituitam incidit, lentus sanguinis motus paululum acceleratur, spiritus nitidiores fiunt, singulæ partes proprium & conveniens alimentum suscipiunt, homo à statu neutro ad sanum transit.

V.

PHILOSOPHI multa finxerunt, quæ nullius sunt momenti, ex fictis alia supponunt, tandem multa subsequntur falsa. In physicis secundum experimenta ratiocinandum, non supponendum est; supponamus ventos statis horis flare, & ad littus propellere mare, deinde quiescere, maris accessum ad littus & recessum explicare non erit difficile. Supponamus terram moveri, stat sol. Admittamus pulverem arte chymicâ extractum, convertere alia metalla in aurum & argentum, pulvere illo stamnum argentum fiet. Non supponimus esse discrimen inter ignem & materiam subtilem, ignis per universum mundum diffusus est, ignis corpus est calidum seperando dividit, frigidum corpus jungendo copulat, hoc hyeme manifestum est, frigus agit non iners est, illud sentimùs; vis illorum corporum consistit in motu, & qualitate quantitatis non in figurâ, corpus quod in acumen desinit semper non

pungit, ut in cerâ apparet, figura modus eſt. Tenuior ſanguinis portio fit à ſubtili materiâ cum blando humore juncta, qui humor ſubtilem retinet materiam; hæc ſubſtantia ſpiritum conſtituit, dum è cerebro per nervos in omnes corporis partes diffunditur, motum & ſenſum efficit, ſpiritus eſt animalis, ſpiritus animales nervulos cerebri & fibras multis modis commovent, anima ad illos motus attenta varia diſtinguit objecta, illorum ſpirituum ope ſuo perfecte fungitur officio anima, movet ſpiritus, quomodo agat hoc nos latet, cum ſit ens ſuperius, agit in inferius; qui animam cognoſcere aſſerit, ſibi blanditur; cognitionem ab animâ pendere in dubium revocari non poteſt: animæ eſſentiam cognoſcere non eſt hominis in hoc mundo degentis. Anima ad Dei naturam plurimum accedit; Hic omnium Conditor non materiæ auxilio omnia cognoſcit, ſed ſuâ ſubſtantiâ ſpiritali; anima ſuâ ſubſtantiâ ſpiritali falſum à vero diſtinguit; reliqua animalia ſi eſſent ratione prædita, collectis viribus ſimul congregarentur, hominibus bellum inferrent, proprias occuparent terras, non bos infanti obtemperaret, nec elephans hominis voluntatem ſequeretur. Dum omnino delentur organa nec anima poteſt agere, cum exiſtentia entis ſpiritalis ab organis non pendeat, anima ſuis ſoluta vinculis, Deum ſuum centrum petit.

Ergo ſubtilis materia cum aëre juncta ægrum ſanat, & corpus animæ domicilium conſervat.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS FRANCISCUS DUTAL, Pariſinus, Baccalaureus Medicus.
A. R. S. H. 1700.

Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.